

Alte Drucke

Dissertatio Medico Inauguralis Morbos Eorumque Affinitatem Ex Incompletis Motibus Hæmorrhagicis Ortos. Sistens

Fabricius, Franciscus

Lugduni Batavorum, 1724

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-174458

quatenus omnes peccarunt. Ne autem mors iusto citius corpori vim afferret, necessitas medicamen contra vim mortis praetaturam flagitabat, quo homo in Dei gloriam Ejusque S. S. Majestatis laudem in orbe terrarum incolumis ageret aliquamdiu vitam, & devotissima miraretur suspiceretque mente sapientiam divinam, quam in apicem profert contemplatio creaturarum, quibus ipse ad venerandum Creatorem corpusque suum conservandum gratissimo frueretur animo. Deus itaque remedium modo dictum, tanquam Hygejam verissimam, ei obtulit, quo varia morborum genera avertere & corpus ad destructionem proclive praeservare posset. Est certe Hygeja, si consideramus, quod mediante sudore Plethora imminuatur, inutile serum evacuetur, corpus a particulis sulphureo-salinis liberetur & motu voluntario, qui sudorem antecedit, aequalis distributio sanguinis promoveatur, corpusque valde roboretur, quo demum non solum contra injurias externas sese defendere, sed etiam, plurimorum morborum causa per sudorem evacuata, in longum durare possit, Quod cognoscere datur quotidie in laboriosis, qui certe, nisi accedat causa externa violenta (quod plerumque fit,) 1. Epidemico Endemiove morbo corripiantur, ab omnibus ferme morbis immunes vivunt, ad terminum usque quem mortalis transgredi nequit Job XIV, 5. Verum enim vero omniscius DEUS, quem quidquam celare nemo valet, & qui solus corda mortalium novit, secundum Salomonem 1. Reg. VIII. 39. praevideat, perversum hominum genus non auscultaturum, ut hanc optimam, certissimam ac praestantissimam viam iniret, atque corpus a praecoci interitu praeservare contenderet, sed potius, neglecta Hygeja, habentis temperantiae laxatis, adfectibus suis & appetitui plus iusto indulturum. Quod vitae genus maximas sane injurias sanitati inferre ac corpus e statu suo dejicere valet: nimia enim copia ciborum ingesta, vel cupediis quotidie, quamvis parcius, sumtis, Plethora & spissitudo sanguinis augeat ac Stomachus debilitatur, cui nec spatium datur cibum bene concoquendi cruditatesque eliminandi, unde nec chylus bonus praeparari potest. Verum igitur est proverbium illud: Qualis concoctio, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis; qualis sanguis, talis lympa; qualis lympa, tali

Conferatur
tur co-
rollaria
Hag.
27. Seq.

PRO O E M I U M.

talis nutritio. Ut ceterorum innumerabilium ferme morborum, inde in corpus redundantium, recensioem supersedeam. Quam ob rem benignissimus Creator secundum clementiam suam Panaceam quoque adjecit, qua sanitatis restauratio impetratur. Ast animus non est, fufius de Panacea sermonem facere, cum certo respectu etiam Hygeja supra prædicata vicibus Panaceæ sæpe fungi possit: sed morbos præfenti specimine contemplari, ex neglecta Hygeja natos, quorum præcavendorum causa impulsæ Natura sanguini superfluo propriis motibus hæmorrhagicis expellendo studet; cujus conatibus si eventus respondet, salva res est; sin minus, sequuntur morbi illi recensendi & considerandi; Sed conscii nobis, nostris in viribus non esse id positum, Divinum NUMEN devotis precibus imploramus, ut conatibus nostris benedictione sua adesse velit, quo cuncta in ejus nominis gloriam cedant.

§. I.

Dum de Morbis, ex motibus hæmorrhagicis incompletis ortis, acturi sumus, nonnulla erunt præmittenda, quæ qualitatem, necessitatem, ac usum evacuationis sanguinis concernunt. *Plethoram* plerosque homines immo ferme cunctos habere, quisque facile concedet, qui vitæ genus, diætam, & hæmorrhagias individuorum contemplatur, item, *plethoram* non molestias ac cruciatus solum creare posse: sed etiam ad plurimos morbos fonticos ansam solere præbere quis est, qui neget, si in Pathologia formanda antecedentia cum consequentibus, causam formalem, materialem, ac procatarecticam recte conciliat? Qua dere fufius *Excellentiss. STAHLIUS* in *Theoria sua vera medica* p. m. 400. seqq. & 638. seqq. & 638. seqq. differuit. Ne vero sic *Plethora*, sibi relicta, vim corpori inferat, ut depletio per hæmorrhagias instituat, necesse est, nisi per cibum parciolem motumve sufficientem corporis, placitum, & continuum ea imminuatur, uti in procemio de Hygeia dictum est, peragitur hæc deple-

tio sanguinis duplici modo, vel *sponte*, a NATURA, vel *artificialiter*, per *manus auxilias*, unde illico illucescit posteriori modum priori esse substitutum seu ejus vicarium, ars enim medica sequitur naturam, quare *illum* tanquam celebriorem prædicamus, atque si semper voto potiretur *Natura* & per loca minus suspecta plethoram evacuare posset, supervacaneum ac in re medica ad scapum evacuatorum non necessarium, vicarium hunc modum fore, asserimus: Relicto itaque modo posteriori priorem amplectimur, statque nobis, eum contemplari, quando *cæptis Naturæ* non prospere succedit, idque ob duplicem causam fieri solet, primo, *motus erronei consuetudinales in locis, hæmorrhagiis minus aptis*, deinde, *impedimenta materialia* sunt accusanda. Ast id infra pluribus illustrabimus.

§. 2.

Ex dictis constat, principium illud immateriale, in corpora nostro obvium, Medicis *Naturæ* nomine veniens, hæmorrhagias causari: Hæmorrhagias hos, *salutari fine* ad Plethoram imminuendam, ne corpori injuriam inferat, suscipere: Easque *sponte* motibus eluctatoriis instituere, quæ tamen non semper ex voto succedunt. Hinc illæ lacrymæ. Sunt itaque hi *motus incompleti: molimina hæmorrhagica, eluctatoria, depletionem sanguinis ad salutarem finem respicientia, verum sæpenumero exitum non invenientia.*

§. 3.

Priusquam vero rem specialius aggredimur, lubet indicare observationem illam notatu dignissimam, quod videlicet: hæmorrhagiæ secundum *ætates* variant. Quam observationem Hippocrates jam suo tempore in *Aphorism. 27. & 29. lib. 3.* injunxit. Ulterior vero explanatio legi meretur in *Theor. Med. celeberrimi Stahl's p. m. 668. seqq.* Junioris enim hæmorrhagarum narium, media ætate homines hæmoptyses, & adultiores hæmorrhoidum sunt Subjecta, præterea sequior sexus à decimo quinto anno ad quadragesimum sextum vel quinquagesimum communiter *mensium fluxum* patitur. Posteriores hos fluxus, si turbantur quacunque etiam causa, facile

VO-

vomitibus vel mictibus cruentis excipit. Ubi notandum adhuc venit: Quod mictus cruentus sexui nobiliori familiarior sit, quam sequiori, ob hæmorrhoides, quibus virilem sexum præ fæminino subiectum esse autumant. Habent enim vasa hæmorrhoidalìa communicationem cum vesicæ vasis. Verum enim vero datur etiam exceptio, nimirum in literatis aliisque, qui perpetuis lucubrationibus ac seriis cogitationibus motus ad caput alliciunt, ac infestant, vel quibus per *palindromen* motus ex una regione in aliam diriguntur. Quemadmodum itaque Natura ordinem servat plerum secundum *ætates*, ac *regiones*, in evacuatione sanguinis: eodem modo nostras animadversiones dirigemus. Primum vero *subiecta*, dein *Media*, quibus Natura utitur, ad tales motus instituendos, denique *Tempus*, quo ipsa motus hos exercet, contemplerur, & tandem secundum *Regiones*, morbos ex motibus incompletis hæmorrhagicis ortos, delineabimus easque breviter explicabimus.

§. 4.

Subiecta quod attinet, sunt singuli homines, qui *Plethoram* duobus illis remediis efficacissimis, supra §. 1. indicatis, imminuere respuunt. Inprimis *Plethorici*, quibus plethora est commota, item hæmorrhagiis vel *naturalibus* vel *artificialibus*, antea adfuerunt, nunc vero immunes illorum viventes, nec non spissitudine sanguinis & dyscrasia humorum laborantes, accedunt denique, queis motus hi erronei consuetudinales sunt facti, vel etiam ex hæreditaria dispositione iisdem sunt obnoxii.

§. 5.

Media, per quæ motus instituuntur, nulla sunt alia, quam quibus *Natura* in statu naturali ad se & excretionem promovendas uti solet; Differunt tamen ratione *gradus*; in hoc enim statu, quem Medici præter Naturalem appellare consueverunt, auctiora semper reperiuntur, suntque duo, videlicet *Tonus partium*, seu *motus tonicus*, & *circulus sanguinis*, seu *motus progressivus sanguinis*. Quid per *Motum Tonicum* intelligi velimus, facile cognoscet, qui Celeberrimi *Stahl*i *dissertationem*

nem

nem de Motu Tonico vitali perleget, ubi asserit, eum nihil aliud esse nisi certa & debita partium solidarum (musculorum nempe) *extensio*, quæ pro lubitu Naturæ *intendi*, vel magis *remitti* possit estque ejus proprium *strictura* & *relaxatio*. *Motus* vero *progressivus* ille dicitur, qui à *Guilielmo Harveo* anno 1628. detectus, & à circulo suo physico, quem formare solet, (dum mediante motu sanguis è corde per arterias ad partes, & vicissim è partibus per venas ad cor vehitur) *circulus sanguinis* appellatus est.

§. 6.

Tempus etsi certum determinari haud potest, quod *Natura* secundum datas causas motus suos instituere solet, attamen, quia sequentibus potissimum anni temporibus materiales causas ansam dant naturæ, lubet illud annotare. Non exclusis cæteris temporibus, *ver* & *autumnus* hic inprimis sibi vindicant locum. *Vere* enim *primo* ob tempestatum vicissitudines corpus valde alteratur, modo relaxatur, modo constringitur, hisque alterationibus *Natura* ad motus instituendos excitata, præter excretiones, tunc temporis contingentes plethoram hyeme cumulatam imminuere contendit. Ineunte vero *autumno* corporis habitus strictior redditur, eoque ipso humores ad interiora pelluntur, viscera implentur, plethora augetur, unde spissitudo sanguinis enascitur. Id *principium illud vitale* sentiens & futura cogitans partem superfluum evacuat. In sensibilibus Subjectis etiam *æstivo* & *hyemali* tempore circa solstitia facile motus tales contingunt: illo enim, ob magnam *expansionem*, hoc vero, ob nimiam *inspissationem* sanguinis. Mutationes temporum quid valeant ad morbos producendos, annotavit senex venerabilis *Hippocrates Sect. 3. Aphorism. 1. seqq.*

§. 7.

Quod in §. præcedenti de causis quidquam diximus, idcirco easdem hoc §. latius explicari animus est. *Causæ* itaque sunt vel *Immaterialiales* vel *Materiales*. *Immaterialiales* sunt solum *occasionales* seu *procatartice* (præter formalem illam, quæ ipsa est *Natura*), videlicet omnia pathemata animi, quorum

rum

rum alia *Naturam* ad *motus intensos*, alia ad *motus remissos* suscipiendos cient, item consuetudo hæmorrhagiarum, vel *naturalium* vel *artificialium*, nec non *impressio hæreditaria* etiam sunt causæ occasionales. *Materiales* causæ sunt duplices: vel *in se spectatæ*, tanquam materia, quæ vel *corrigi* vel *eliminari* debet his motibus, & ob quam motus instituuntur: uti *plethora*, *spissitudo*, aliæque *dyscrasie sanguinis*; vel a quibus *Natura* tantum excitatur, eique occasio *præbetur*, ut motus suos dirigat contra materiam, sive actu *existentem*, sive per has causas nunc *inductam*, suntque tales *calida*, *aromatica*, *spirituosa*, *fermentativa*, *sanguinem rarefacientia*, *exagitatio corporis*, *abusus veneris*, *connisus fortior ad pondera tollenda*, *constitutio aëris calida*, & *tempestates*, §. antecedenti indicatæ.

§. 8.

Visis generalioribus, ad rem tamen facientibus, ad specialia ordine ducimur, inque his animadversionibus præfactum ordinem secundum ætates ac regiones servabimus. Intuebimur itaque *iuniores*, qui plerumque hæmorrhagias narium patiuntur, quibus haud bene succedentibus, variis capitis morbis, mox recensendis laborant. At quia etiam alii in cæteris ætatibus constituti, per *palindromen* tales morbos, immo *graviores* (evacuationem tamen per nares respicientes) experiuntur, una serie comprehendamus. Suntque tales: *dolor capitis stricte dictus æstuans*, seu *cephalalgia sanguinea* & *ferrosa*, *phlegmatorrhagia*, *coryza*, *gravedo*, *ophthalmia*, cum cæteris affectibus oculorum; *otalgia*, *susurrus*, *pulsatio* & *fluxus aurium*, *gravitas auditus* & *surditas*, *parotides*, *odontalgia*, *caries dentium*, *excrecentiæ spongiosæ faucium*, *ozæna*, *inflammatio uvule*, *angina* cum omnibus suis speciebus, *inflatio* & *inflammatio tonsillarum* & *glandularum colli*, *cephalæa*, *clavus hystericus*, *hemicrania*, *phrenitis*, *apoplexia*, *hemiplexia*, *paralipsis linguae* & *musculorum pharyngis*, *vertigo*, *scotomia*, *affectus soporosi*, ut *lethargus*, *carus*, *coma*. Optimo etiam jure febriles commotiones, vel febres actuales, uti *diariam* & *synocham*, simplicem vel sanguineam dictam huc referimus,

B

mus,

mus, quippe quæ ut plurimum vel hæmorrhagia narium vel sudore paulo largiori, absolventur, eoque ipso pars sanguinis superflua immittitur.

§. 9.

In media ætate ex moliminibus hæmoptycis eveniunt, Branchus, raucedo, pleuritis vera, spuria, peripneumonia, palpitation cordis, asthmata, præsertim spastico-convulsivum, varix collectiones scirrhosæ in pulmonibus, catharri suffocativi, tussis pectorales, infarctus & vomica pulmonum, empyema, hydrope pectoris & pericardii, (Conf. Conspect. Medic. Excellentiss. Junckeri noviss. edit. p. m. 716. 717.) paraphrenitis, phtisis. Ne quisquam nobis male imputet, ac hæmoptysin in bonis numeraremus, apologiæ causa dicimus, nos haud fugere, quod hæmoptysin exulceratio pulmonum, phtisis, & hæctica plerumque excipiant, inde evacuationem hæmoptycam qua talem in incongruo loco susceptam non laudamus defendimusque, sed tantum intentionem Naturæ, qua à molestia sanguinis sese liberare contendit, pro bono fine habemus. Dein ideo causam hanc finalem adduximus, ut Medicus, contingentibus talibus moliminibus, ad hæmoptysin tendentibus, intentionem Agentis in corpore nostro noscat, ac ut minister naturæ, motus hosce, ad periculofum locum tendentes, aliorum dirigat & in tempore intentioni Naturæ, vel per vicariam, evacuationem, alibi instituendam, vel per remedia, fini supra dicto, satis facientia, succurrat.

§. 10.

Adultiores, vel quibus jam in juventute hæmorrhoides fluere coeperunt, ob varias verò causas modo turbatæ vel plane suppressæ sunt, item scæminæ hysteriæ ob inordinatum suppressum vel emanum menstruum fluxum, multa incommoda in abdomine patiuntur, nimirum universum apparatus mali hypochondriaci, vel hypochondriaco-hysterici numerosas congestiones & spasmos circa viscera in imo ventre contenta, unde vomitus cruentus, inflammatio ventriculi & intestinorum, cardialgia symptomatica, hepatitis infarctus, obstructio

&

& scirrhus hepatis, cachexia, splenitis infarctus, obstructio & scirrhus splenis, ascites, colica hæmorrhoidalis, hysterica, convulsiva, hæmorrhoides albæ, nephritis simplex, calculus renum, nephritis calculosa, hæmorrhoides externæ, fluentes, cæcæ, nothæ seu spurie, aliæque fungosæ protuberantiæ & ulcerascentes excrescentiæ, circa anum evenientes, ut thymus, ficus ani, marisce, rhagades, condilomata, formicæ, verrucæ, clavi ani, sycofis, porro ischuria, dysuria, mictus cruentus, fluor albus, benignus, hæmorrhagiæ uterinæ, inflammatio uteri, dependent. Accedunt varii dolores tensorii, punctorii, inflammatorii, pulsatorii, æstuentes, lancinatorii, volutatorii, fremebundi &c. he-
etica.

§. II.

Artus partesque exteriores corporis, suos quoque patiuntur manes ex motibus his incompletis, hæmorrhagias eminens (in illa, quam occupant, regione) respicientibus. Offerrunt itaque sese contemplationi nostræ variæ congestiones, rheumatismi, spasmi, convulsiones, à quibus oriuntur erysipelata, phlegmonæ, pustulosæ inflammationes, vari, gutta rosacea, spasmi circa caput, cervicem, scapulas, humeros, lumbos, spasmus Paracelsi fixus, malum ischiadicum, arthritis fixa, vaga, incubus, succubus, glossagra, chiragra, gonagra, podagra, contractura, eridura, tetanus, emprosthotonus, opisthotonus, catalepsis, epilepsia.

§. 12.

Recensitis morbis, qui ex motibus incompletis oriri observati sunt explicationem & connectionem eorum cum hæmorrhagiis subjungimus, quæ vero per singulos morbos, succincte tamen, fiet. Nam latiore deductionem nec tempus, nec aliæ circumstantiæ concedunt. Antea vero monita nonnulla præmittemus, ad ætiologiam morborum explicandam maxime facientia. Quapropter memori & attente tenendum, & bene considerandum est: quod motus Tonicus, (tanquam instrumentum principalissimum *Naturæ*,) hic fere omnem paginam absolvat: quod non *generatim* solum, ut supra diximus, in musculosis partibus contractione

augeri & minui possit, sed *speciatim* etiam hujus motus vicissitudo sive auctuatio, vel integro musculo, vel in singulis ejus fibris contingere soleat; de quo concinne *Excellentiss. Stablii* in *Dissert. de Motibus Humorum spasmodicis*, disserit: quod gradu sapissime variet, unde dolores varii, *activi* tamen, *puncturæ*, *lancinationes*, *vellicationes*, *tractiones*, *torsiones*, *vibrationes*, *palpitatoriae* & *fremebundæ* (*Conf. Excellentiss. Alberti Dissert. de Doloribus it. Conspect. Medic. Excellentiss. Junckeri p. m. 143*) porro *spasmi*, *convulsiones*, *paralyses*, dependent: quod variante tono motus progressivus sanguinis diversimode alteretur, hinc phlogoses, congestiones &c. oriuntur: quod hoc mediante sanguis ad *specialia loca* propellatur: quod ille *refluxui*, *discussioni*, *secretioni* & *evacuacioni* sanguinis plurimum inserviat, quod natura illo in statu tam *secundum* quam *præter naturam*, & recte, & erronee, semper tamen ad salutarem finem, utatur: quod *vigente* vel *labefactato* tono corpus *vigeat*, vel *labefactetur*: quod tandem *ordinario* tono, corpus sit *sanum*. Longum foret, has veritates rationibus & argumentis stabilire; adhæc etiam actum agere & crambem bis coquere videremur. Eam ob causam ad crebras lectiones *Lectori B* dissertationem *Excellentiss. Stablii de Motu Tonica Vitali & de Aestu maris microcosmici* etiam atque etiam commendamus.

§. 13.

Porro dolores passivi à sanguinis congestione evenientes sunt considerandi, nimirum *infarctus*, *distensiones*, *gravitates ardores*, *pruritus*, *rosiones*. Item distingui debent effectus & *producta*, à causa tam *formali*, quam *materiali*, nec non morbus *primarius* à *secundario*, & *symptomata* ab ipsis morbis, tandem morbi *initium*, *incrementum*, *status* & *decrementum*, *consuetudo*, *pertinacia Naturæ*, *vitæ genus*, *temperamentum*, *sexus*, *ætas*, *regio corporis* & *locus* sunt res animadversione & notatu dignissimæ.

§. 14.

Hæc si quis recte ponderabit, facile morborum, supra delineatorum *historiam*, *differentiam*, *connexionem*, & *ætiologiam* inveniet. Stantes igitur promissis, adfectuum *explicationem*

nem & modo dictorum applicationem, quoad fieri potest, sequentem in modum facimus. Capitis morbi in primariam nostram veniunt considerationem, & quidem *Cephalalgia sanguinea idiopathica*, seu *dolor capitis æstuans*, ubi causa materialis est *Plethora*, & quidem sæpe qualitate peccans, quæ à *Natura* tanquam causa formali, *motu Tonico* (instrumento illo observatu dignissimo) per *arterias* partim, partim etiam (& plerumque quidem) per *venas* sursum versus ad caput propellitur, ut illa *imminuatur*, & progressivus motus sanguinis expediatur. Eo ipso vero in partibus remotis & oppositis, à Tono auctiore adstrictio *alvi*, *urinae* non tam *imminutio*, sed etiam *tenuitas*, *tensiones* in *hypochondrio*, præcipue *dextro*, *sudoris suppressio*, *frigus partium inferiorum*, proveniunt. In *capite* vero & circa illud à *sanguine congesto* & propter illum exferunt sese dolores, *distensorii*, *lancinatorii*, *punctorii*, *pulsatiles* communiter etiam circa *radicem nasi ardor*, cum sensu *eximiae pressionis* circa *os cribrosum*, (qui modum nascendi dolorum scire cupit, is legat & relegat *Exellentiss. Dni. D. Alberti laude dignissimam dissertationem de Doloribus*, habeatque sibi *motum tonicum fibrillarem commendatum*), item *turgescencia* & *inflatio faciei*, *vasorum temporum*, & *venarum jugularium* imo totum caput dolet, præsertim *frons*, *tempora* & *bregmata*. Hic morbus duobus modis solvitur vel *evacuatio* ne vel *discussione*. Evacuatio vero secundum temperamenta variat; in *sanguineis* enim & *sanguineo-melancholicis* sincera *sanguinis excretio*, in *phlegmaticis* autem, & *sanguineo-phlegmaticis* feri, plus, minus *spissior*, succedit.

§. 15.

Hæc itaque excretio duplex, duos parit adfectus. Alter, si sincerioris sanguinis evacuatio contingat, *Hæmorrhagia narium*; alter vero si in largiori & continuo humoris limpidioris stillicidio consistat, *Phlegmatorrhagia* dicitur. Posterior hic adfectus affinitatem habet cum *Coriza*, conveniunt enim ratione *excretionis serosæ*, item ratione *causæ*, differunt tamen in eo, quod in *Coriza* excretio hæc *acrior* & paulo *spissior* immo plerumque *sternutatio* conjuncta observetur

tur, deinde causa *Coriza* est *Gravedo*, quæ à *Cephalalgia* tantum gradu differt. Cur loco sanguinis serum evacuetur, optime & verissime vir jam sæpius allegatus, *Excellentiss. Dn. Stablius in Theoria Medic. p. m. 985. seqq.* deduxit. Si vero *Cephalalgia* per neutram evacuationem solvatur, *Natura* per febrem vel commotiones febriles discussionem staseos vel stagnationis tentat, qui actus *Rheumatismus* dicitur. Deinde ex eadem *Cephalalgia* varii morbi propululant, quando *Natura* motus excretorios *erronee* particulariter ad loca hæmorrhagiis non dicata dirigit, videlicet ad oculos, unde *inflammatio*, *rubor*, *stasis*, *inflammatio* seu *ophthalmia* oritur, hæc si ex parte suppurascit *Hyppopium* dicitur, *Hyppopium* vero esse potest causa *Pterygii*, dum flaccida illa portio membranacea, quæ post evacuatum pus remansit, cantho oculi, ut plurimum interno excrescit.

§. 16.

Quando ad aures dirigitur, tunc ex oppletionem & infarctu *Gravitas auditus*, ex speciali congestione & restagnatione humorum *Tinnitus* & *Susurrus aurium*, ex stasi, in interna membrana meatus auditorii facta, & subsequente inflammatione *Otalgia* ortum sumit. Si inflammatione stases non discutuntur, abeunt in pus, quod maximis cruciatibus ex auribus effluit, sub nomine *Fluxus aurium*, hinc quasi consequens *Gravitas auditus* & *Surditas*, ob atoniam tympani, reliquarumque partium vicinarum, *Pulsatio* ab effluxu & congestione à tergo, nec non à tono fibrillari dependet, *Parotides* tanquam partes vicinæ illud cum auribus commune habent, quod ex congestione, stagnatione & stasi oriri supra diximus. Ad os fauces & partes vicinas si fit directio & congestio sanguinis, plerumque oritur stasis, ob quam inflammatio, quæ si est in periostio & partibus nervosis, ad dentes tendentibus *Odontalgia* dicitur, hæc nisi perite tractetur, facile corruptionem, exulcerationem & cariem cum excrescentiis spongiosis producere potest. Quando talis corruptio & exulceratio in naso accidit, *Ozena* appellari consuevit. In uvula, musculis pharyngis & laryngis, immo etiam vicinis partibus, dum

dum eadem luditur scena, *Inflammatio uvulae, variae species anginae, inflammatio tonsillarum glandularumque colli* oriuntur, & certe nihil differunt ab invicem hi adfectus, nisi loco & gradu. Morbi modo explicati si non omnes tamen plurimi sunt symptomata *Cephalalgiae*, hinc si tempus & gradum consideras, facile connexionem *Cephalae* cum *Cephalalgia* habebis, in illa enim omnia reperiuntur acerbiora & pertinaciora, adhuc longiorem habet periodum, estque magis chronicus & habitualis adfectus. In hac vero mitiora sunt symptomata & periodus est brevior. *Clavus hystericus* ratione *sexus* & *specialis illius doloris* pungentis circa tempora contingentis, ac si clavus ibidem esset infixus, à cephalalgia sese distinguit. *Hemicrania* convenit cum cephalalgia *sine*: respiciunt enim ambae hæmorrhagiam narium, illa *eminus*, hæc *propius*: differt vero ab ea *doloribus*, *gradu* & *loco*; dolores in *Hemicrania* sunt *spastico-arthritis*, *contumaces*, *interlancinantes*, *vibrativi*, vehementia etiam adeo infestant dimidium tantum caput, (præcipue sinistrum latus) ut æger distrahi id sibi & divelli autument. Ex prædictis adfectibus si stasis in meningibus accidit, febris inflammatoria seu *Phrenitis*, discussionem respiciens, ei à *Natura* opponitur, quam vero dira symptomata præter perturbationes mentis comitantur. Cæteri adfectus in *abolitione motuum* consistunt, quæ vel in *parte*, vel in *uno latere*, vel in *toto corpore* contingit, deinde hæc abolitio aut *sensus tantum*, ut in adfectibus soporosis, aut reliquos *motus vitales*, gradu tamen variantes concernit, sicut in *Apoplexia*, *Hemiplexia* & *Paralysibus* videre est, Nec oblivisumur *Vertiginis*, quæ in sensu *Circumversionis* tum *loci* tum *corporis* consistit, nec *Scotomiae*, quæ præter sensationem *circumversionis*, obnubilationem sensuum involvit, eas potius secundum *Excellentiss. Alberti* sententiam in *Patholog. Med. p. m. 213*. Apoplexiam antecedere, imo ejus causam esse asserimus.

§. 17.

Capitis morbos adfectus pectoris excipiunt, qui jam dictam hæmorrhagiam ibidem moliuntur. Superfedemus ve-

ro repetitioni tædiosa de congestionis modo nascendi: deque symptomatibus cum ea complicatis, & ad morbos ipsos considerandos confestim properamus. Differunt sese primo intuitu nostro *Branchus* & *Raucedo*, quorum uterque adfectus à *stagnante congestionem* dependet, alter in *relaxatione* & *secessione* materiae seroso-mucosae intra fauces & asperam arteriam, alter vero in *constrictione* tunicae glandulosae & partium glandulosarum circa superiora asperae arteriae sitarum constat. Non negamus, raucedinem plerumque agnoscere causas externas, sed valet hic canon ille: unius positio non est alterius exclusio; Nam datur etiam interna causa raucedinis, nempe congestio ad pectus, de qua re legi meretur exemplum illud notabilissimum in *Conspectu Theoret. Pract. lentiss. Dn. D. Junckeri p. m. 243.* item in *Nenteri Fundament. Theoret. Pract. Tom. 2. p. m. 142.* Si nulla sit excretio, sed ex congestionem ibidem detenta oritur stasis sanguinea, & ad stasin resolvendam discutendumque febris accedit inflammatoria, (morbus secundarius) tunc in pleura, *Pleuritidis verae* nomine venit, (spuria enim non habet febrem conjunctam, vel si adest febricula, illa est inaequalis) in pulmonibus vero *Peripneumonia* audit; conveniunt hi adfectus intentione *Naturae*, & ratione causarum; differunt loco & sputu cruento, qui in *Peripneumonia* observatur, in *Pleuritide* non item. His febribus acutis secundariis, discussioni stasium destinatis, adnumeramus *Paraphrenitidem*, quae cum iis causam *primariam*, *proximam* & *formalem* unam eandemque agnoscit, sed *rationi loci* & *symptomatum* differt; in hac enim stasis est in diaphragmate, & ob ejus sensibilitatem mentis alienatio & deliria cum caeteris diris symptomatibus observantur, quae tamen in *Phrenitide* sunt exacerbiora. *Palpitatio cordis* ad sanguinem evacuandum erronee respiciens, distingui debet à nudis fortioribus commotionibus cordis & sanguinis organis, quae incommoda ex animi pathematibus & vehementibus praegressis motibus corporis oriuntur ac subito plerumque transeunt. In *Palpitatione cordis* vero modo dicta accedit vehemens *pulsatio cordis* ad partes solidas thoracis, ita ut à

à circumstantibus sæpe videri immo audiri possit, adest arteriarum præcipue carotidum fortior *pulsatio*, præcedit *anxietas præcordiorum*, à nimia oppletione circa ea, *languor artuum*, *pallor faciei*, *respiratio anxia*, *cardialgia*, cum intercepto libero vocis usu, qui cum antecedentibus symptomatibus motu *Tonico* auctiore originem debet.

§. 18.

Porro *Asthmata* sunt considerata, quatenus oriuntur ex *moliminibus hæmoptycis*, mox vero distinguimus illa secundum suas tres causas: aliud enim ab atonia partium & vicinorum nervorum, quæ ex prægressis *congestionibus* pectoris oritur, dependet: aliud, producta ex *congestionibus* (nempe materiam *mucido-viscidam* circa pectus collectam, vel collectiones serosas in *pulmonibus*) pro causa agnoscit: aliud tandem à *spastica*, *rigida* & *activa* contentione originem ducit, quod paulo ante dictis propius ad bonam *intentionem Naturæ* accedit, sed nec locus, nec modus sunt laudanda; hæc ultima species *asthmatis*, quæ *Asthma convulsivum* audit, ideo notabilis est, quod communiter patientem jugulat, & quod in senioribus *Catarachos suffocativos*, *apoplexiam*, *paralyfin*, post se trahere observata est. *Tusses* ipsæ non sunt adfectus immediate à moliminibus hæmorrhagicis orti, sed *motus activi Naturæ*, quibus ipsa, vel discussionem stasium, vel evacuationem sive plus minus *seroso-salfo-mucidorum humorum*, sive *sanguinis sinceri* intendit; supponunt itaque semper prægressam *congestionem* ad pectus, & quidem secundum temperamenta variantem, in aliis enim plus *sanguinis*, in aliis vero plus *seri* ad pectus fertur. Cæteri adfectus pectoris sunt *producta* ab effectibus *Naturæ* orta, videlicet, quando ex *congestionem activa*, versus pectus in vesiculis pulmonum stasis facta, & per actum inflammatorium à particulis sulphureis, fermentativis, summe agilibus, liberata eoque ipso in pus conversa, in propriam suam tunicam includitur, *Vomica pulmonum* audit, quæ, si post aliquod tempus ex causis occasionalibus rumpitur, purulenta materia, in cavitatem thoracis effusa *Empyema* constituit. Si vero per motum discussorium, partes fluidæ à materia tali

C

plus

plus, minus purulenta repente discutiuntur, abit in *Nodos* seu *Tophos*. Item quando a congestionibus & stagnationibus frequentibus, per motum & moram secedunt delabunturque serosæ secessiones in cavitatem thoracis vel pericardii oriuntur hi duo adfectus certe oppido rari, differentes loco, nempe *Hydrops pectoris* & *Pericardii*. *Phthisis* etiam est productum a moliminibus hæmoptycis, vel facta hæmoptysi, agnoscit enim stasin, antea ex congestionem tantum, vel remansione sanguinis post hæmoptysin factam, nunc vero in corruptionem & ulcus degeneratam, pro causa.

§. 19.

Abdomen in adultioribus, hæmorrhoidariis, hysteriis, varios patitur morbos, omnium vero adfectuum hic explicandorum causæ sunt vel suppressæ hæmorrhoides, vel evacuationes uterinæ non rite succedentes, vel denique spissitudo, vitiosaque qualitas sanguinis, ex spissitudine nata. Sub oculos cadit primum adfectus ille famosus ac Medicis multa negotia faciens tanquam oceanus inexhaustus, in quo ceteri morbi in abdomine omnes fere uti *Species in Genere* complexi sunt. Est vero ille adfectus *Malum Hypochondriacum* vel *Hypochondriaco-Hystericum*. Non est animus, genericam animadversionem circa hunc morbum facere, nec de variis illis doloribus vagis hypochondriacorum differere; nam uti Subiecta secundum *sexus, temperamenta, vitæ genera, consuetudines* ac alias circumstantias variant, sic etiam dolores differunt, & certe impossibile est omnia describere pathemata hysteriarum, semper enim superest unum alterumve hoc vel illo subiecto proprium; interim cujus interest notissimos ac vulgatissimos dolores scire, is legat scripta *Excellentiss. Stablii & Alberti* de hac materia, item in *Conspect. Theoret. Pract. Dni. D. Junckeri Tab. XXXVI.* de malo hoc. Nos interim considerabimus adfectus, qui oriuntur, quando hoc malum, ut *Genus*, magis magisque sese terminat in regiones corporis, ac *Species* sui constituit, nec non connexionem cum negotio hæmorrhoidali ostendamus. Ex antecedentibus & modo dictis patet, motus in imo ventre duas respicere evacuationes

sa-

salutares, vel per *anum*, vel per *uterum*, quæ si ex quacunque causa turbantur, liberque fluxus sanguinis intercipitur, *Natura* alias quærit vias, hinc specialiter ad ventriculum & lienem congestiis motibus latus sanguis, per vasa brevia in ventriculum effunditur, ac deinde mediante vomitu per motum ventriculi tonicum auctiorem & inversum peristalticum rejicitur, qui adfectus *Vomitus cruentus* dicitur, hic adfectus familiarior est *sexui sequiori*, quam *nobiliori*, ob menstruum fluxum, non evenit tamen puellis ac junioribus foeminis, sed adultis, & quidem intra fluxus menstrui periodum constitutus. *Inflammatio ventriculi ac intestinorum* nihil aliud est, quam febris secundaria, ad stasim in his partibus a prægressis congestionibus factam resolvendam ac discutiendam, nam quod illa motui inflammatorio *particulari* cedere recusat, inde *Natura* per motum *universalem* febrilem discussionem intendit. *Cardialgia Symptomatica* consistit in spastica contractione orificii superioris ventriculi (quod admodum sensibile est ob consensum nervorum) qua translatus sanguis ad illum (ex suppressis fluxibus hæmorrhagicis sive naturalibus sive artificialibus) nonnunquam exprimi solet.

§. 20.

Quis certe, qui substantiam vasculoso-glandulosam hepatis novit, facile sententiæ nostræ subscribet, videlicet contingere solere, stasim in hoc viscere, a prægressis congestionibus ad hoc viscus activis, quibus vitiosam qualitatem sanguinis *Natura* corrigere intendit. Quam stasim motus discussorius universalis febrilis, ut in præcedenti §. dictum est, excipit, qui *Hepatitis* appellatur. Ut vero non semper fit, quod fieri potest, sic nec ex congestionem tali semper oritur stasis: sed vel a spastica hepatis *contractione* vel à nimia motus tonici remissione fit stagnatio & *Infarctus hepatis*, qui si humoribus mucido seroso-viscosis scatet, obstruit vasa, sicque humores intra vasa detenti, exhalantibus tenuissimis humorum ac sanguinis portionibus siccescunt, & in duritiem abeunt, unde *Obstructio* & *Scirrhus hepatis* enascitur. Hi adfectus sunt causa *Ascitis*, hic enim ut cæteri

hydropes vel ex vitio humorum, vel organorum seu viarum oritur, concurrunt hocce in statu ambæ causæ, ac mutuo alternant, ut altera manum porrigat; nam primum adest quæcunque etiam vitiosa qualitas, quæ obstructioni & scirrhus hepatis ansam præbet, unde viæ ac organum depravatur, ut posthac secretio bilis ac lymphæ haud rite succedat, depravantur itaque humores adque illorum *dyscrasiam, cachexiam ac hydropem* via panditur. In liene, viscere e regione hepatis sito, eadem scena luditur, ac in hepate, ob connexionem rami splenici cum V. P. & hæmorrhoidali, unde iidem motus congestorii *evacuationi vel discussioni* destinati, consequentiaque inde dependentes, sequuntur. *Colica hæmorrhoidalis* differt à cæteris colicis adfectibus ratione materiæ, in hac enim sanguinis hæmorrhoidalis suppressi, ac in intestinorum vasis hæmorrhoidalibus copiosius detenti, nec non plerumque qualitate peccantis, dissolutionem & expressionem per motus spasticos *Natura* contendit, quo sub labore sanguis ex aliqua parte in halitum convertitur, qui flatus deinde partem laxam & à spastica contractione liberam in intestinis occupant, quæ laxa pars si alio insultu spasmodice contrahitur, atrocissimi & sensibilissimi inde oriuntur plerumque dolores circa regionem umbilicalem. Idem valet de *Colica hysterica & convulsiva*, differunt vero posteriores hæ à priori ratione *sexus & gradus*. *Hæmorrhoides albæ* sunt vicaria excretio hæmorrhoidum, iisdem motibus congestoriis suscepta, sed loco sanguinis, erronee lymphatico-seroso-ichorosa materia excernitur, idque vel ob aliqualem stricturam partium hæmorrhoidibus dicatarum, ut sanguis non commode exprimi queat, vel ob humorum spissiolem consistentiam, qua ad evacuationem rubicundæ portionis inepta, pallidus humor tanquam fluidior excernitur. Si per vasa hæmorrhoidalia interna evacuatio consueta fieri non potest aut ex alia quadam causa motus ad hæmorrhoides externas tendunt, fit mediata congestio ad renes, ibidemque contentiosa restagnatio (ob stricturas) quæ cum non potitur fine, sed aliqualis ex ea oritur stasis, ad quam dissolvendam inflammatio accedit, quæ quo-

quoniam tantum erysipelacea est (ob substantiam renum) non habet febrem acutam conjunctam, adsunt tantum commotiones febriles vel horripilationes cum subsequente calore molestissimo, hicque status dicitur *Nephritis simplex*, unde *Calculus renum & Nephritis Calculosa* facile propullulant, nimirum quando stasis in rene alterutro (plerumque sinistro) abit in corruptionem, vel purulentam vel falso-ulcerosam, quæ accedente falsugine urinæ, primum in lentescentiam, mucidam, mox in tephaceam, crustam & successive in lapideam duritiem convertitur. Conf. *Excellentiss. Stablii Dessert. de Calculo renum Nova Pathologia*. Hic Calculus deinde per motus spasticos excernitur cum multis cruciatibus, a sensibilitate ureterum dependentibus.

§. 21.

Ex vasis hæmorrhoidalibus externis per activam congestionem hæmorrhoides externæ oriuntur, & quidem vel *fluentes* (raro tamen) vel *cæcæ*. Ex cæcis deinde turgentibus nempe (excepta contagione venerea) diutius & pertinaciter continuantibus, & in verucosam consistentiam siccescentibus, proveniunt *Nothæ hæmorrhoides* seu *spuriæ* variis nominibus §. 10. denominatæ. Si Natura malit plethoram per vasa vesicæ urinariæ propria, in subjectis aptis & ex causis supra dictis, excernere, oriuntur nonnunquam *Ischuria Dysuria* & tandem *Mictus Cruentus*, sæpe etiam absque cruciatibus & tacite quasi *Mictus cruentus* accidit. In sequiori sexu, quando ob ipsitudinem sanguinis, vel ob vasa justo plus contracta sanguinis rubicunda portio excerni haud queat, effluit portio albicans, quæ per moram in vagina uteri plus minus consistentiam spissam induit (sermo est de *Fluore albo benigno*) qui fluxus *Fluor albus* dicitur. *Hæmorrhagia uteri* cessationem mensium excipit in subjectis plethoricis, hæmorrhagiis largioribus antea adsuetis, plerumque causæ sunt *animi pathemata*, quæ *Naturam* ad motus suscipiendos alliciunt, *Hæc*, plethoram pari modo ac hostem aggreditur eamque motibus auctis per uterum excernit. Unde, nec non ex cæteris congestionibus ad uterum, si oritur stasis, perinde

eam ac in cæteris visceribus *inflammatio* excipit, quæ discussionem molitur, discussio si non succedit oritur *ulcus*, quod (sicuti *ulcera* reliqua in cavitatibus duabus inferioribus) *Hæctica* tanquam Medicus, curationem illius respiciens aggreditur, & certe colophonem talibus *ulcerosis* adfectibus addit, ita ut patientes semper liberet a cruciatibus, dum iis secundum Hippocratem Sect. v. Aphorism. 12. *superveniente defluvio capillorum è capite & diarrhæa moriuntur. Originem, finem & modum nascendi dolorum morbos recensitos concomitantium, quisque ex perpensatione monitorum supra §. 12. indicatorum, colligere potest.*

§. 22.

Dictum est §. 11. morbos partium externarum etiam oriri ex moliminibus hæmorrhagicis, quare nunc ordo nos ducit ad eorum genesin connexionemque cum hæmorrhagiis paulo latius explicandam. Sunt vero hi motus *erronei*, qui evacuationem tantum eminus respiciunt, & quidem alii ad locum ibidemque evacuationem, alii vero à loco repressionem sanguinis intendunt. Sic *Erysipelata* oriuntur, quando ex suppressis hæmorrhagiis sanguis superfluous à partibus nobilioribus congestione ad aliquam partem ignobiliorem ducitur, qui ibidem exitum non inveniens in stasin abit superficialem latam, quam *inflammatio* excipit, quæ si ob profundioram stasin, febriculam habet comitem, colorque sit rubicundus & tumor durus, *Phlegmone* appellatur. Talis congestio si fit ad caput & in facie pustulas inflammatorias format, *vari* dicuntur, quibus si rubedo faciei associatur, *Gutta Rosacea* audit. *Spasmi in capite & cervice hæmorrhagiam narium respiciunt, in scapulis & humeris plerumque intermissam scarificationem indigitant. Conf. Excellentiss. Stahlian Theor. Med. p. m. 1335. seqq.* Lumborum *Spasmi* evacuationem hæmorrhoidalem intendunt, ut *spasmus* Paracelsi *fixus*, qui circa os sacrum, musculos in rigidissima tenet tensione, ut patiens sensum percipiat, ac sit clavus ibidem infixus, impediens corporis sui erectionem. *Malum Ischiadicum* ratione finis, causæ, & modo fiendi cum præcedente adfectu convenit, loco tamen differt, ille

ille enim solum *os sacrum*, hic vero magis *coxas* & per consensum *os sacrum* infestat. Nec *Arthritis* a malo hoc differt, nisi quod illa junioribus, hoc vero adultioribus obtingat, item illa fere in omnibus partibus sedem habere potest & si *vaga* est, locum sæpe mutat, hoc vero regionem circa *coxas*, ut supra dictum est, occupat. *Incubus* & *Succubus* sunt spasmodici adfectus, in musculis thoracis, hæmoptycam evacuationem molientes, nocturno tempore patientes semivigilantes vel dormientes infestantes, & quamprimum membrum aliquod movetur, relicta lassitudine, solvitur. *Glossagra* est arthritis in lingua, quæ ob spasmus, eam detinentem, moveri haud queat. *Chiragra* est dolor artritico-spasticus, articulationes manuum & digitorum occupans. *Gonagra* & *Podagra* sunt etiam dolores spastici sensibilissimi; alter in genibus, alter in pedibus, plerumque circa malleolos & pollices pedum tragœdiam ludit. Hi adfectus conveniunt ratione *cause*, *effectus*, *partium*, *eventus*, differunt tantum *loco*. Hos morbos tanquam affectus excipit *Contractura*, quæ in perenni stricture consistit, eoque ipso affluxum nutrimenti sufficientis impedit, unde tandem productum nempe *Aridura* originem sumit, quæ nihil aliud est, quam *Tabes* seu *Arescentia* ob denegatum nutrimentum. Cæteri adfectus quoniam sunt rarissimi nihilque peculiare quid præter adfectus spasticos modo explicatos habent, præterimus, & fonticum illum ac satis notum morbum consideramus, *Epilepsiam* nempe, quæ in eo à prædictis morbis differt, quod non solum in attractione & spastica detensione partem servat, sed, ut convulsiones solent, per reciprocas motuum exacerbationes hinc illinc modo partem attrahunt, modo remittunt, *causæ* vero, *aliæque circumstantiæ* cum spasmis conveniunt.

§. 23.

Diagnosin morborum jam *Prognosis* excipit, & quidem afflictiones capitis primariam merentur considerationem. *Congestiones simplices ad caput* non magnum portendunt periculum, si vel in tempore pharmaceuticis derivantur, vel V.
Sne

Sne revelluntur aut sponte evacuatione illa, quam intendit *Natura* solvuntur, quod in junioribus facile fieri potest, in adultioribus vero, ubi omnia contumacius sese gerunt, hi capitis morbi non tam facile auscultant medicationi, præsertim cum motus hi sæpe per *palindromen* ad caput ibidemque in consuetudinem deducti sunt, hinc majoris in iis sunt momenti. *Rheumatici & spastici congestiones in capite*, quando etiam ætas incongrua respondet, raro carent periculo; nam finem, quem intendunt, nunquam obtinent, præterea facile in consuetudinem abeunt, & ex levissima causa recurrunt, usque tandem ægrum fontico morbo jugulant. Ad *pectus congestiones* etiam *simplices* sunt *periculosæ*; etsi enim *Natura* evacuationem salutari fine susceptam assequatur, attamen quia locus excretioni minus est destinatus aptusque in suspicionem *Phthisicos* & morborum, quorum Hippocrates Sect. III. Aphorism. 29. mentionem facit, venit. Adhæc gravioribus morbis *incompleti & rheumatico-spastici motus* in pectore portam pandunt, quam qui in capite & abdomine oriuntur. In imo ventre per longum tempus congestiones plura incommoda, quam pericula creare solent, & facile excretioni hæmorrhoidum vel mensium cedunt. Sin congestiones vero pertinaciter immo rheumatice viscus aliquod occupant, insuper perverse tractantur remediis præcipue *calidis, narcoticis, adstringentibus*, oriuntur *suspectæ stagnationes, stases, inflammationes, febres, adfectus œdematosi, hydro-pici, hæctici*. Motus congestorii plus, minus *spastici & spasmodico-convulsivi*, uti sunt erronei in artubus & partibus exterioribus; sic facile ibi in consuetudinem abeunt, & habituales fiunt, ægreque extirpantur.

§. 24.

Medicatio seu Curatio Therapeutica horum moliminum sive motuum incompletorum, sequentibus sex Indicationibus absolvitur. *Interne* (1) ut motus intestinalis sanguinis *temperetur*; tonus auctus (2.) *leniatur*; stagnatio & stasis (3.) *discutiat*ur: per antimonium diaphor. Bezoard. Min. absorbent. citr. Conch. præpar. lumbric. terrestr. nitr. decocta gelatinosa & emul-

emulsiva cum sem. papav. modica quantitate parata, sufficientem potum, arcan. duplic. tartar. vitiol. Temperata Alexipharmaca v. g. Ess. Alexipharm. Stahl. Mixtur. simpl. Ess. Scord. Pimpin. alb. Vincetox. it. ut motus excessivi, pertinaces (4) *Sedentur*; cruditates primarum viarum (5) *Evacuentur*; & specialis adpulso & congestio ad aliquam partem (6) *Revellatur* per corall. rubr. præpar. Mass. Pil. de Cynogloss. Sem. papav. & Syrup. ejusdem, Rhabarbarina, Sennata, Thamarindinata, magnesiæ alb. Extract. Panchimagog. Crollii. Mass. Pill. de Succ. Craton. Pil. Stahl. Externe V. S. in pede, Scarificatio in aptis & consuetis subjectis Sp. V. Camphor. Serpill. Formicar. Sacculi discutientes ex speciebus resolutivis parati v. g. ex Herb. Camomill. Rosism. Ment. Majoran. Epithym. Betoni. Thym. Flor. Camom. Sambuc. Melilot. Stoechad. Lavendul. cum Camphora, usu veniunt. Qui has Indicationes una cum monitis, §. 13. datis, recte perpendet, easque justo tempore, congruo ordine, certa proportionem applicabit, is certe Deo juvante periculosos effectus ac producta, ex hisce incompletis motibus hæmorrhagicis oriunda, avertet.

§. 25.

Quemadmodum vero circumspectio in omnibus rebus habenda est; sic ea certe maxime requiritur in medicina, ne error irreparabilis in medicatione morborum committatur, itaque necessarias cautelas in praxi harum congestionum incompletarum observandas adjungimus. *Remedia heröica* hic applicare velle idem esset ac ignem oleo velle extinguere; *Naturam* enim actu in motibus constitutam, ad tales perverfos motus ulterius excitant, atque ad multas perturbationes & anomalias ansam dant. Si alias Medicus ministrare debet Naturæ, certe in hoc statu necessitas postulat, ne per moram & negligentiam suspecti effectus ac producta incurabilia oriantur, hinc *in tempore venire ac principiis obstare* consultum est. *Adstringentia*, *Volatilia*, *Narcotica*, *Opiata*, *Calida*, *sanguinem exagitantia* malum augent; alia enim in vias agunt, easque constringunt, alia vero intestinum mo-

D

tum

tum sanguinis valde exagitant, unde facile stagnationes, stases, & inde dependentes afflictiones originem sumunt. Nec *Refrigerantia* hic conducunt, lympham enim & serum densant & gravia incommoda post se ducunt *V. S.* curatoria locum non habet, nisi summa urgeat necessitas; nam & praesentia incommoda (nisi quidem repetatur) parum minuit, & futura caussatur admodum fontica, nempe nullae nisi huic medelae amplius cedit adfectus. Hæc sunt quæ auxiliante Deo hoc specimine proponere volumus, potuissimus quidem ad ulteriorem explicationem multa addere, quæ vero in libris *citatorum Celeberrimorum Virorum* legi possunt. Adhæc nec tempus nec limites dissertationis plura concesserunt. Itaque Divino Numine, quo nostros labores inchoavimus, devotissimas referimus preces pro favore & gratia, qua nobis adstitit in ejusque Clementiam actionum nostrarum committimus initium, medium &

F I N E M.